11.
2

ALPHABETUM

BRAMMHANICUM

SEU

INDOSTANUM

UNIVERSITATIS KASI,



ROMAE MDCCLXXI.
Typis Sac. Congregationis de Propag. Fide.

Praeſidum facultate.

Digitized by Google

CLEMENTI . XIIII. P. O. M

CVSTODI . RELIGIONIS . ET FIDEI

CENSORI . REMVNERATORIQVE . VIRTVTVM

ALPHABETVM . NATIONIS . INDOSTANICAE

EXCVLTAE . MISSIONIBVS . APOSTOLICIS

FAMILIAE . FRANCISCANAE . CAPVCCINORVM

QVOD

TYPIS . SACRAE . CONGREGAT. DE . PROPAG. FIDE

NVNC . PRIMVM . SVA . CVRA . EXCVSVM . EST

STEPHANVS . BORGIA

A . SECRETIS . SS, CONGREGATIONIS

OB . INSIGNEM . CIRCA . SE . INDVLGENTIAE

EIVS . EFFECTVM

BEATISSIMO . AC . FLORENTISSIMO . PRINCIPI

LIBENTI . MVNERE

D . D . D

Digitized by Google

LECTORI ERUDITO

IOHANNES CHRISTOPHORUS AMADUTIUS
Praeſes Typographiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

I. *EN tibi, Erudite Lector, Alphabetum Brammhanicum, ſeu Indoſtanum Univerſitatis Kasî, quod nunc primum typis Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide in lucem emittitur. Provide ſummus, ac ſapientiſſimus Pontifex Vrbanus VIII. harum litterarum formas concinnari iuſſerat, poſtquam in Urbano Collegio de Propaganda Fide, quod ipſe exſtruxerat, quatuor Alumnis ex hac ipſa natione loca decreverat. Verumtamen ex eo uſque tempore incogniti prorſus, atque neglecti huius linguae typi iacuerant abditis in locis, donec, curante Viro Cl., & à nobis numquam ſine laude, ac dolore commemorando Conſtantino Ruggerio, qui nos in hoc ipſo munere auſpicato praeceſſerat, veluti in novam lucem educti ſunt, Chriſtianae dein Religionis bono, & amplificationi, tum & eruditionis ipſius ornamento inſignius profuturi. Quare nacta occaſione acceſſus ad urbem Religioſiſſimi Viri, & Indicarum Miſſionum benemerentiſſimi Caſſiani Beligattii Maceratenſis ex Capuccinorum Familia, tum in ordinem redigi harum litterarum formas, tum etiam nonnullas, quae deerant, quaeque maxime ad Alphabeti integritatem*

 per-

pertinebant, de novo cudi Ruggerius ipſe curavit. Hinc etiam factum eſt, ut aliqui ex hiſce Characteribus typis impreſſi primum prodierint ſtudio, ac diligentia Viri doctiſſimi, & πολυμαθεστάτου Auguſtini Antonii Georgii Auguſtinianae Familiae Procuratoris Generalis, qui eos commode pro re ſua uſurpavit, dum Tibetanum Alphabetum Apoſtolicarum Miſſionum commodo concinnaret, in quo ſine opere non modo Theologicae facultatis, ac ſacrae eruditionis lectiſſimus apparatus, verum etiam plurium exoticarum linguarum inſignis plane copia, & uſus ſummopere mirandus venit (1). *His inſtructi praeſidiis, hiſque inflammati exemplis ultra procedendum, ac uberiora ſpecimina a nobis eſſe promenda nunc modo ſtatuimus. Quare ex auctoritate ampliſſimi S. R. E. Cardinalis Ioſephi M. Caſtellii, eiuſdem Congregationis de Propaganda Fide, & Typographiae quinetiam Praefecti, tum ex diligentia, ac conſilio Cl. Praeſulis Stephani Borgiae ſupraſcriptae Congregationis a Secretis Romam denuo accito Caſſiano Maceratenſi Capuccino, quem ſupra laudavimus, id curae ſtatim eidem demandatum eſt, ut & nova nonnulla harum litterarum elementa, quae deſiderabantur, cudenda proponeret, tum & ipſius Idiomatis rudimenta prima concinnaret, quibus nimirum nos modo praefamur.*

II. Ve-

(1) *Romae* 1762. *Typis Sacrae Congr de Prop. Fid. in* 4. *Part. I* §. L., *& ſeqq. pag.* 93., *& ſeqq.*, *tum Part. II. pag.* 697., 710., 726., *& ſeqq.*

II. *Verum antequam Alphabeti huius noſtri ratio omnis exeratur, iuvat initio monere, quot Brammhanica Idiomata adſint, & circumferantur, ut cetera ab hoc ipſo diſtinguantur. Quare Indoſtanicum Idioma praecipuum venit, quod* Nagrì *etiam dicitur, quodque latius obtinet praeſertim in Regno* Bear, *vel* Patnà, *& in vicinis ditionibus, quae Mogolenſi Imperio ſubiacent. Indoſtana ſane Dialectus, quae Characteribus* Nagrì *exprimitur, non ſolum in laudatis locis plus minus uſurpatur, verum etiam & ab Ethnicis Viatoribus, qui vel commercii cauſſa, vel pro inviſendis ſacris eorum locis itinera ſuſcipiunt, vulgo adhibetur, ut etiam inſtar linguae mediae eſſe poſſit, qua cetera nationalia Idiomata facilius addiſci poſſint. Ceterum ad tria potiſſimum redigi poſſunt Idiomata, quae in hac Aſiae parte, ubi praeſertim Brammhanica ſuperſtitio colitur, potiſſimum uſuveniunt; ſiquidem primum venit litterale Brammhanicum, quod ſapientes dumtaxat tallere conſueverunt, quo ſacer eorum Codex conceptus eſt, & cui etiam Hiſtoriae, Fabulae, Scientiae, ceteraque* μυςήρια *commendantur, ne ceteris de plebe, ac peregrinis quinetiam arcana huiusmodi patere poſſint. Quare Idioma hoc ab ipſis* समस्क्रीत Samſcrit *appellatur. Alterum vero populare eſt, & commune, quod* बखा बोली Bekà Bolì *audit, quodque etiam Univerſitatis*

Kasì, *ſive* Benarès *vocitatur, atque a nobis nunc modo adducitur Apoſtolicarum Miſſionum potiſſimum commodo, donec Grammaticam, ut eſt in votis, & ut Sacrae Congregationis decreto iamdiu ſtatutum eſt, proferamus. Tertium tandem Alphabetum occurrit, quod Gentilitium, vel peculiare Nationum dici poteſt, cum eo nimirum variae Gentes, & Populi commorantes in Regnis, Provinciiſque Mogolenſibus, & Brammhanicam* θρησκείαν *profitentes utantur. Gentilitium vero Alphabetum hoc in tot genera ſubdividitur, quot ſunt Regna, ac Provinciae, in quibus uſurpatur, & a quibus nomen derivat. Huiuſmodi porro eſt lingua popularis Bengalenſis, Tourutiana, Nepalenſis, Marathica, Peguana, Singalaea, Telugica, Tamulica, tum quae* Nagrì *dicitur, tum* Nagrì *Soratenſis, ac quinetiam Balabandù, Devanagaram, Granthàm, & ceterae huiuſmodi, quae litterarum ductibus, ac figura, tum & dialecto dumtaxat inter ſe differunt, dum interim elementorum numero, poteſtate, tum & communibus vocibus, ac ſyntaxibus ut plurimum inter ſe conveniunt, quemadmodum & eadem Lingua Samſcritica, ſeu litterali Brammhanica pro ſacris, & arcanis rebus ſingulae hae gentes religioſe, conſtanterque utuntur. Bengalicae quidem linguae Alphabetum, cuius & nos exemplar manu exaratum obtinemus a Miſſionario ex Clericis Regularibus S. Paulli, attulit Ioh. Frid. Fritzius, qui praeſidio uſus Beniamini Scultzii, Halae Magdeburgicae Heterodoxa-*
rum

rum *Miſſionum Miniſtri centum Alphabeta diverſarum Linguarum, ac ducentas verſiones Orationis Dominicae variis litteris, ac idiomatibus concinnatas edidit Lipſiae anno* cIↄIↄccxlviii. *typis Gottl. Frid. Rumſſii* (1). *Tum ibidem Linguarum Marathicae* (2), *Peguanicae* (3), *Singalaeae* (4) *Telugicae* (5), *Nagaricae* (6), *Balabandecae* (7). *Dewa-nagaramicae* (8), *ac Granthamicae* (9) *Alphabeta, aſt qua ſide, Deus ſcit, proferuntur; quibus & Orationes Dominicales iiſdem exaratae litteris ſubſequuntur. Ceterum Balabandecae litterae habentur etiam in Syllabo Orationum Dominicalium a Clar. Chamberlaynio edito, tum etiam huiuſmodi Alphabetum adducitur in Commentariis Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae* (10) *ex Elementis Litteraturae Brammhanicae, Tangutanae, Mungalicae Theophili Sigefridi Bayerii, quo loco etiam Dewa-nagaramicum, & Nagaricum conſuli poterit; quemadmodum in iiſdem Commentariis* (11) *per eumdem Bayerium pluribus Tabulis aeneis expreſſum cerni poterit Brammhanicum ele-*

 gan-

(1) *Pag.* 84. *Libri, cui titulus*: Orientaliſch-und Occidentaliſcher Sprachmeiſter / &c. *Chriſtianus Frider. Geſnern, qui heic pro Typographo propoſitus eſt Cap.* XII. *pag.* 1[illegible]2., *Inſtitor eſt, & Bibliopola.*
(2) *Pag.* 94. (3) *Pag.* 87. (4) *Pag.* 88. (5) *Pag.* 87. (6) *Pag.* 125. (7) *Pag.* 124. (8) *Pag.* 123. (9) *Pag.* 87. (10) *To.* IV. *ad annum* 1729. *pag.* 291., & 192. *Tab.* XIX. (11) *To.* III. *pag.* 389.

gantius, & ornatius, quo Brammbanes ad libros ſcientificos exarandos uti ſolent.

III. *Iam vero quid de noſtro Brammhanico Alphabeto populari, ac communi Univerſitatis Kasì ſtatuendum ſit, iam plane oſtendit Caſſianus noſter Maceratenſis. Agit enim ipſe imprimis de Vocalibus Litteris, quas* XVI. *numero proponit, ubi & de apicibus, ac diphthongis pariter loquitur. Dein gradum facit ad Conſonantes ſimplices, quas* XXXIV. *recenſet, ubi & earum modulationes, & ſonos exponit, ut proinde Alphabetum hoc noſtrum* L. *conſtet elementis. Hinc pronunciationis conſonantium in particulari regulas tradit, ac aequipollentiam ſimul earumdem exponit cum litteris Latinis, Graecis, Hebraicis, & Arabicis. Tum copulationem vocalium cum conſonantibus, & conſonantium cum vocalibus adnotat, quarum etiam Tabulam proponit. Inſuper venit ad conſonantes plures unico elemento, ſeu apice expreſſas, quae a nobis ſigla, vel compendiariae notae dicerentur, earumque denominationem quoque recenſet. Tabulas quinetiam quinque ſelectas dumtaxat appoſuit eiuſmodi conſonantium ſimul copulatarum una cum Tabula altera, quae partes praeſefert earum litterarum, quae frequentius aliis conſonantibus annecti ſolent, quas claudicantes appellat; ut hinc pronunciandi difficultates aliqua ratione explanentur. Hinc monendum aggreditur, quomodo Indoſtani defectum ſuppleant carentium ſibi conſonantium, ſimulque tradit litteras Indoſtanicas or-*

dine

dine Alphabeti Brammhanici Samſcritici ſanctioris, ſive litteralis, aut ſcientifici, quem ordinem dumtaxat eidem in tanta arcani diligentia, ac cura, quam Brammhanes gerere notum eſt erga alienigenas, eoſque, qui ex eorum ſanguine ſati non ſunt, eidem noſcere licuit; ſiquidem alias inſuper regulas, atque alia praecepta, tum & diverſam apicum diſpoſitionem Brammhanes habent, etſi tamen nonnullae etiam regulae communis noſtri Alphabeti etiam ad litterale ipſum pertineant. Nec etiam omittit Alphabetum populare Indoſtanorum, vulgo Nagrì, *quod* XLIV. *dumtaxat litteris conſtat, & quo terrigenae omnes utuntur ad familiares epiſtolas, communeſque libros exarandos; atque hoc id habet peculiare, ut quamquam litterae eaedem ſint cum illis Univerſitatis Benarenſis, exceptis nonnullis peculiaribus calami tractibus, quibus quandoque Amanuenſes gaudere ſolent, quibuſque litterarum figura paullulum immutatur, exarentur tamen litterae ipſae penſiles a ſuper deſcripta orizontali linea, quae in principio ſcribendi a ſiniſtra ad dexteram in papyro ſignari ſolet. Deinde ad facilius, diſtinctiuſque dignoſcendam harum omnium Indoſtanarum litterarum vim, ac poteſtatem ſchemate exponit eaſdem ad ordinem Latini Alphabeti redactas. His ſuccedunt Notae numericae, quibus utuntur Indoſtani, eaſque ſuis vocibus deſignatas, & Nagaricis apicibus orizontali lineae ſuſpenſis expreſſas exponit. Poſtremo tandem Tironum gratia Catecheſim Chriſtianam adnectit, recenſens nimi-*

nimirum multo accuratiorem; *emendatioremque Orationem Dominicam*, *& Salutationem Angelicam*, *quam Kircherius in ſua China illuſtrata* (1) *Latino conceptam Idiomate*, *ac Brammhanicis exaratam elementis adduxerat*, *& ex eo laudatus Fritzius* (2) *etiam protulerat*, *tum inſuper ſubdens Signum Crucis*, *Orationem Dominicam*, *Salutationem Angelicam*, *ac Symbolum Fidei*, *quorum tamen ſingula Indoſtana Dialecto*, *& apicibus expreſſa ſunt*.

IV. Quae autem origo fuerit Indoſtani noſtri Alphabeti, *non plane liquet*, *licet a ſecretiori Samſcritico*, *quo Brammhanes utuntur*, *derivaſſe non dubitem*, *ut & ipſi ex eo Malabaricam*, *Warticam*, *Zigleſicam*, *aliaſque linguas*, *quae in Littore Coromandelino*, *ac Malabarico*, *tum in Inſula Ceylon*, *aliiſque in locis obtinent*, *ortum duxiſſe*, *teſte Bartholomaeo Ziegenbalgio Danicae* Ἐπιδοξίας *propagatore in Indiis*, *qui haec Maturino Veyſſierreio La-Crozio communicavit* (3), *affirment*. *Niſi etiam dicere velimus* Indoſtanum *Alphabetum profluxiſſe ab alio antiquiore Brammhanico non admodum abſimili*; *ſiquidem*, *teſte Caſſiano noſtro*, *exſtant nunc quinetiam in Indoſtanicis Regionibus antiqui Codices apicibus quibuſdam exarati*, *quos & ipſi peritiores Brammhanes ſe ignorare ingenue fatentur*,

(1) *Chin. illuſt. p.* 162. (2) *Loc. cit. pag.* 82. *Fig.* V.
(3) *Theſaur. Epiſtolic. La-Crozianum ex Biblioth. Jordaniana. Lipſiae* 1742. *Epiſt.* CCCXIX. *p.* 381., *& ſeq.*

tur, dum interim apud ipſos traditio eſt, neque eorum maiores, a quibus eos acceperant, huiuſmodi litterarum, & nexuum praeſertim, qui frequentes ſunt, poteſtatem calluiſſe. Ceterum cum Indoſtana Dialectus multis ſcateat vocabulis Perſicis, ac Arabicis, forte ſuſpicari poſſet, Perſicas litteras Tartaricis, Indicis, ac Brammhanicis praeſertim originem praebuiſſe, ut cenſuit laudatus La-Crozius in eius Epiſtola ad Bayerium (1), *qui inſuper Perſicas ab Aegyptiacis hieraticis, ac hieroglyphicis ſe petere poſſe arbitratur, quod Clearchus Solenſis apud Diogenem Laertium* (2) *teſtetur*, τὺς Γυμνοσοφιςὰς ἀπογόνυς εἶναι τῶν Μάγων, Gymnoſophiſtas a Magis fluxiſſe; *quamquam hoc eidem abnegaverit Bayerius ipſe* (3), *ut ex eius Epiſtola innoteſcit, qui tamen nullam ſolidam adducit rationem, qua id inficietur; quemadmodum toto caelo errat, dum Perſicas litteras cum Armenicis, a quibus toto quinetiam caelo diſtant, convenire autumat, ac inſuper recentes Cophticas cum antiquis Aegyptiacis confundit, cum ſane Cophticas veriſimile ſit, ex ipſius La-Crozii ſententia* (4), *ſero, & poſt Pſammetichum a Graecis colonis acceptas fuiſſe. Hanc Brammhanicarum lit-*

(1) *Tom.* III. *Epiſt.* IX. *pag.* 22.
(2) *In Prooemio ad Vitas Philoſoph. pag.* 6. *Edit. Colon. Allobrog.* 1615
(3) *Cit. To.* I. *Epiſt.* XIII. *pag* 16.
(4) *Cit. To.* III. *Epiſt. ead. pag.* 23.

litterarum originem a Perſicis, & ab Aſſyriis quin etiam denuo ingerit La-Crozius ipſe in eius Epiſtola ad Ioh. Chamberlaynium (1), *ubi neminem moveri poſſe contendit, ne has origine Aſſyrias putet, quod ordo ſcribendi immutatus fuerit, atque hae gentes nunc a laeva ad dexteram ſcribant; ſiquidem male etiam argumentum urgeret, qui Graecos litteras ſuas a Phoenicibus habuiſſe inficiaretur, quod eorum ordinem, immo & priſcam ſuam a ſiniſtra ad dexteram ſcribendi rationem immutarint. Verumtamen quod Indoſtana Dialectus Perſicis, ac Arabicis dictionibus ditata ſit; fieri etiam potuiſſet ex frequentibus Orientalium populorum irruptionibus in Indicas regiones, quibus etiam eidem diu, ac longe, lateque diverſis temporibus dominati ſunt; quemadmodum hinc etiam factum forte eſt, ut in eorum ritus plures ex Mahometica ſecta ſuperſtitiones irrepſerint, ac etiam proinde utraque Religio quibuſdam in rebus oppido convenire, ac ſimul utraque inter ſe quid commune habere videatur.*

V. *Nunc quomodo Indoſtani ſuos informent litteris pueros, & quomodo res ſuas ſcriptis conſignent, dicendum nobis ſupereſt. Sciendum quapropter eſt, Indoſtanos Paedagogos imprimis ſuper areolis arena inſtratis ramuſculo deſignare characteres a pueris imitandos, quos dein in arena ipſa pueri ramuſculo altero ad propoſiti exempli*

(1) *Cit. To. III. Epiſt. XLII. pag.* 85.

pli normam exarant, quoſque ſi male deſcribant tractus illi informes, exaequata arena, oblitterantur, donec concinne eoſdem exprimant. Hac primiori expleta exercitatione, ad Chartam confugiunt, quae vel ex goſſypio, vel ex ſerico, aut etiam ex cortice radicis cuiuſdam arboreae conficitur, & in qua nova ſcriptionis experimenta pueri paullo inſtructiores inſtituunt. Alii vero huiuſmodi elementares exercitationes peragunt in Tabulis ſeſquipede latis, ac duobus pedibus circiter longis, quae paſtillis albeſcentis terrae cuiuſdam contectae ſunt, ut quod ibidem ſignatum ſit, facile deleri poſſit. Calamo paluſtri utuntur pro ſcriptione, quem fere noſtro more intercidunt, eumque inter ſcribendum alii pollice, & indice ſimul, alii ſingulis quinque digitis gerunt, alii pugno conſtringunt, elato tamen brachio, ac manu, quin ullo fulcimento ſuſtententur; quinetiam interdum epiſtolas praeſertim exarantes ſiniſtrae manus palma chartam ſuſtinent, ac dextera litteras pingunt. Nepalenſes porro huiuſmodi Tabulis utuntur, quae longitudine, ac latitudine plus minus ſuperioribus reſpondent, quaſque cum herbarum foliis obliniverint, ut eas humectent, ac dein carbone confricaverint, ut earum ſuperficies nigreſcat, acuminato lapillo litteras iiſdem inſcribunt. Quemadmodum & Nepalenſes ipſi chartam adhibent ex cortice arboreae radicis confectam, quam dein ſecant in faſcias quaſdam in longum productas, eaſque ſimul coagmentatas, ut ſolidiores ſint,

tum

tum ſlavo calore auripigmento coniunctio, ut à tineis ſervent, obductas, ac lapide quinetiam affabre laevigatas in unum compingunt, ut hinc Codices efforment. Suum iidem quinetiam habent atramentum, ac ſtilo ferreo Europeorum calamum aemulante ad ſcribendum utuntur.

VI. *Ceterum Miſſionum Apoſtolicarum Miniſtri, qui iis in locis degunt, etiam Europeorum more chartis apud nos communibus utuntur, quibus Indoſtanorum characteribus aliquid ſcriptis conſignent. Non alio ſane modo compactum adſervatur Lexicon MS. Linguae Indoſtanicae in Bibliotheca Collegii Urbani de Propaganda Fide, quod Auctorem habet Franciſcum M. Turonenſem ex Capuccinorum Familia, qui ipſum in Suratenſi Miſſione, quae eidem erat concredita, concinnavit, ac dein dono dedit Sacrae huic noſtrae Congregationi a. d.* III. *Nonas Quinctiles anni* CIƆIƆCCIV., *ut ex acceptationis ſyngrapha peracta a Carolo Auguſtino Fabronio, tunc eiuſdem Congr. a Secretis, ac dein S. R. E. Cardinali, aperte conſtat. Duas habet partes hoc Lexicon, quarum prima eſt pagg.* 489., *altera vero pagg.* 423. *Singulae paginae duabus inſtructae ſunt columnis, quarum una exhibet voces Latinas Alphabetico ordine diſpoſitas, altera Indoſtanicas Nagaricis apicibus exaratas, atque unaquaeque columna* XXV. *vocabula continet. In oppoſita vero pagina duabus pariter columnis diſtincta habentur explanationes vocum hac ratione, ut prima columna Latinas voces exponat charactere, & Idiomate Gallico, altera vero Gal-*

lico

lico pariter charactere voces Indoſtanas, quantum potis eſt, exprimat. Perſicis quinetiam elementis nonnullae Indoſtanae voces hoc in Lexico exarantur, atque ſingulis Latinis vocibus duae, vel tres Indoſtanae dictiones, quae huius Linguae copia eſt, ibidem reſpondent. Extat quinetiam in laudata Bibliotheca Dialogus MS. in 4. pagg. 92., quo Chriſtianus, et Ethnicus Indoſtanus ſimul loquentes de veritate Religionis inducuntur, quique Betiae Regi, aliiſque illius Dynaſtiae Proceribus anno ɔɪɔɪɔccɪɪ. *a Ioſepho M. Gargnanenſi, & a Caſſiano Maceratenſi Miſſionariis Capuccinis oblatus eſt. Tum ibidem etiam adſervatur Codex alter characteribus Regiae Civitatis Patnà ab Amanuenſi Chriſtiano indigena exaratus, atque compactus chartis ex radicibus arboreis, qui eſt pagg. 272., quique Praeceptorum Decalogi explanationem, Dialogum de Religione Chriſtiana, Vitae Servatoris Ieſu Chriſti compendium, verſionem Libri de Imitatione Chriſti, tum preces matutinas, ac veſpertinas, aliaſque ſimiles continet. Tandem eodem loco habentur quatuor alii Codices ex charta, & characteribus Nepalenſibus, quorum primus compendium Catecheſis Chriſtianae, alter ſeptem laetalium culparum expoſitionem, tertius ſeptem Eccleſiae Sacramentorum explanationem, & quartus denique Dialogum inter Magiſtrum, & Diſcipulum de Chriſtiana Religione exhibet; quos omnes a Miſſionariis Capuccinis elaboratos Romam attulit, & Stephano Borgiae Viro Cl., & huius noſtrae Congre-*

ga-

gationis a Secretis dono dedit hoc anno CIↃIↃCCLXXI. *Anſelmus Raguſenſis Provinciae Siculae, eiuſdem Capuccinorum Ordinis Alumnus, & Tibetanarum Miſſionum quondam Praefectus. At hos dein Codices omnes pro ſui munificentia una cum altero Codice ex charta radicis arboreae, in quo Indica Idola, ritus, veſtes, aliaque huiuſmodi Nepalenſibus characteribus, & vocabulis deſignata, & a Conſtantino Aſculano, Capuccino & ipſo Italicis characteribus, & expoſitionibus illuſtrata (quibus ad calcem Nepalenſe inſuper Alphabetum additum eſt) in laudatam Collegii Urbani Bibliothecam illatos voluit Praeſul benemerentiſſimus. Brayerius, ut ex eius Epiſtola ad La-Crozium* (1) *patet, exſpectabat ab Indo ſuo Magiſtro, nomine Sonbhara*, Hiſtoriam Indicam Brammhanice ſcriptam, *ſed quo peculiari idiomate, ac quibus characteribus eadem ſcripta foret, ignoratur. Ceterum nullus forte locus Brammhanicis, & aliis quinetiam exoticarum Linguarum Codicibus magis abundat, quam Bibliotheca Collegii Urbani de Propaganda Fide, quemadmodum ceteras etiam Typographias haec noſtra linguarum, & characterum ſupellectile facile antecellit.*

VII. *Nimis anguſtis nos finibus continemur, ne quid de Brammhanica ſuperſtitione heic nunc addere nobis liceat. Verumtamen, qui noſcere nonnulla hac de re voluerit, conſulere poterit prae-*

(1) *Cit. Theſaur. Epiſtolic. La-Crozian. To.I. Epiſt.* XLV. *pag.*62.

praeſertim Alphabetum Tibetanum Cl. Georgii noſtri, de quo ſupra diximus, & ex quo diſcere facile poterit, quot erroribus Brammhanes Idololatrae obcaecati ſint, ut & in novis Deorum fabulis fingendis Graecorum licentiam ſuperent (1); *Ipſi ſiquidem etſi Deum ens ſupremum, ſumme perfectum, unum, omniſque figurae, & materiae expertem profiteantur, tamen hunc in Mundo viſibili, & inferiori nihil agere volunt, nullum ei religionis cultum exhibent, ac ſe ipſum in Mundi creatione materialem feciſſe monſtroſò commento exiſtimant* (2). *Hinc materialiſmi, Stoiciſmi, & Atheiſmi impietas, immania Indicae Theologiae paradoxa, ſententiarum pugna, & ſectarum varietas maxima* (3) *Ipſi quinetiam ſe iactant natos ex capite, aut ex ore Brammhae* (4), *tum munera, & proprietates Ixorettae, Bavani, & Paraſakti Diis Biſnu, & Iſuren promiſcue tribuunt* (5). *Eiſdem inſuper ſuae ſunt initiationes, ſeu ordinationes quaedam, quas ſacrificio, igne adhibito, peragunt* (6); *ut nunc omittam metempſichoſis errorem, ſuperſtitioſum legis cultum a Brammha ipſis traditae in Libro* Vedam, *& normae obſervantiam circa fa-*

(1) *Part.I. Cap.L. pag.*94.
(2) *Cap. eod. pag.*94., *&* 95.
(3) *Cap. eod. pag.* 96.
(4) *Cap.* LIII. *pag.* 101.
(5) *Cap.* LIX. *pag.*118.
(6) *Cap.* LXVII. *pag.*160.

faſtos, nefaſtoſque dies eiſdem conſignatae in Libro Paniangam *a* Brahaſpeti *bonorum Angelorum Magiſtro conſcripto, tum falſas de fato, eiuſque decreto opiniones* (1), *atque alia huiuſmodi, quibus enarrandis diem perderem. Sed manus e Tabula. Vale interim, Erudite Lector, & a nobis propediem Alphabetum Malabaricum exſpecta.*

(1) *Cap.* LVII. *pag.* 114.

Pag. 97. lin. 9. vocales *corr.* conſonantes.

AL-

ALPHABETUM BRAMMHANICUM
SEU
INDOSTANUM
UNIVERSITATIS KASI.

CAP. I.
De Vocalibus.

QUamquam plura inter cetera, quibus incolae Regionum a finibus Tibetanae Miſſionis terminatarum utuntur, idiomata Miſſionariis ad munus ſuum rite obeundum in praeſenti Miſſionum ſtatu ſint neceſſaria; *Indoſtanum* nempe, *Tourutianum*, *Ma-*

A *quam-*

Digitized by Google

quampurrenſe, *Parabattianum*, *Nepallenſe*, & alia quinetiam: quum tamen apud populos orientalem plagam Regni Behar attingentes primum vigeat, & ad exarandas ſcripturas, libroſque tranſcribendos characteres Univerſitatis *Kasì*, ſive Benares ut plurimum in uſu ſint; idcirco Alphabetum hoc Miſſionariis ipſis addiſcendum proponere nunc ſatis erit, nobisque etiam ea mens eſt dumtaxat; eo vel maxime, quod, cum omnia Brammhanorum Alphabeta eodem conſtent apicum numero, & nonniſi figura, & modo coniunctionis vocalium cum conſonan-

nantibus aliquantiſper inter ſe differant, quicumque hoc Alphabetum bene calluerit, perfacile poſtea non ſolum praedictorum populorum, ſed ceterorum quoque Brammhanicam ſuperſtitionem profitentium poterit Alphabeta recognoſcere.

Duo autem ſunt Brammhanorum Alphabeta praecipua: alterum, quo ipſi res ſuas ſeu ſacras, ſeu ſcientificas ſolent exarare, quodque समस्क्रीत *Samſcrit*, id eſt litterale vocant, ac pro viribus occultare conantur exteris aeque, ac incolis, qui ex Brammhanorum ſtirpe non

ſunt progeniti; alterum, quod non modo Brammhanes, ſed ceteri omnes plerumque adhibere ſolent, & a quo litterale parum diſcrepat quoad uſum, ordinem, efficaciamque ipſorum; & de hoc in praeſentiarum ſermonem faciemus. Deinde Indoſtanorum populare Alphabetum etiam exhibebimus, de quo pauca erunt praelibanda.

Notandum eſt igitur in primis, illud conſtare characteribus ſimplicibus, & compoſitis. Simplices ad numerum uſque quinquageſimum aſcendunt, quorum ſexdecim inter vocales, triginta quatuor inter

con-

conſonantes recenſentur; compoſitorum vero numerus deſignari non poteſt, quum tot ſint, quot fieri poſſunt coniunctiones conſonantium cum vocalibus, vel conſonantium cum aliis conſonantibus. De his poſtea, nunc de ſimplicibus agemus; circa quos

Notandum ſecundo, licet quinquaginta numerentur characteres ſimplices, non ideo tamen hinc argui poſſe, quod Brammhanorum Alphabetum pluribus conſtet vocalibus, & conſonantibus, quam Alphabetum Latinum, quum praeter vocales A.E.I.O U., quibus Latini quoque gaudent, pro-

prie, ac ſtricte loquendo aliam non habeant, imo careant conſonatibus F. Q. X. Y. Z. (qua ratione harum defectus ſuppleri poſſit, ac debeat, infra explicabimus) ſed dicendum eſt multiplicari huius Alphabeti apices propter multiplicem ſonum brevem, vel longum, tenuem, vel ſemi-aſpiratum, palatinum, aut naſalem, quo ſunt pronunciandi.

Denique ſciendum eſt, Brammhanos, & Indoſtanos ceteros, Latinorum more, a ſiniſtra ad dexteram ſcribendo, legendoque procedere; quemadmodum etiam innuendum cenſeo, Indoſtanos, ac ceteros Bram-

mha-

Digitized by Google

mhanicos Gentiles, ut eorum pueris, qui litteras adiſcendas aggrediuntur, Ganeſius, ſive Poleiar liberalium Artium Praeſes, ad bene diſcendum validius auxilium praeſtet, Alphabeti Apicibus magni Numinis invocationem legendam praeponere talibus notis: स्री गऐसा य नाम *Sri Ganeſa ja nam, in nomine excelſi Genesj*, vel alias ॐ नाम: सिद्धं । *Huun namà Sciddan, in nomine Sancti*. Nos autem profanam auſpicationem ſincero corde exſecrantes, ut legentes a bonorum omnium largitore intelligentiae donum exſpectent,

ne methodum immutemus, Omnipotentis Dei invocationem ſubſtituimus. His praemiſſis, Vocalium figuras, una cum módo, quo illas pronunciari deceat, ſubiicimus:

ᴖ स्री स्री स्री परमेस्वार का नाम पार। *Sri Sri Sri Parmeſuor Ka Nam par. In nomine Dei excelſi.*

अ	आ	इ	ई	उ	ऊ	रि	री
ă	ā	ĭ	ī	ŭ	ū	ri	rì
लि	ली	ए	ऐ	ओ	औ	अं	अः
lī	lì	e	eì	o	aù	an	â.

Appellationi Latinae Indoſtanis characteribus interiectae no-

notas quaſdam ſupra poſuimus ad indicandam cuiuſque vocalis naturam, quae tamen non eumdem reſpectu omnium praeſtant effectum; figura enim contractionis, ſcilicet haec ˎ, qua primum cuiuslibet vocalis apicem connotavimus, in vocalibus *a.i.u.ri.li.* admonebit lectorem अर्स *ars*, ideſt breves eas eſſe, & ſono pronunciandas eſſe contracto, id eſt unico temporis inſtanti: ſuperpoſita vero vocalibus *e*, & *o*, Latinam ab ipſis exigi pronunciationem ſignificabit. Similiter figura productionis, nempe haec = ſecundis vocalium api-

apicibus impoſita, in vocalibus *a.i.u.rì.lì.* दीर्ग *Dirgh*, id eſt longas illas eſſe denotabit, & ſono emittendas eſſe productiori: impoſita vero vocalibus *eì*, & *aù* indicabit, inſtar diphthongi Latinae eas pronunciari debere.

Ad perficiendum vero ſexdecim vocalium numerum Indoſtani praedictis quatuordecim addunt alios duos apices omnibus tum vocalibus, tum conſonantibus communicabiles, quamvis vocalis अ *a* propoſita ſit in exemplum. Primum puncto tantiſper aperto ॰, quod अंकर *ankar* ipſi vocant, ſu-

ſuper litteram formant ad exprimendum quoddam *m*, vel *n* leniter prolatum. Exemplum habes in hac ipſa voce अंकर *ancar*, cuius prima littera, nempe अं, quae praefato puncto ſignatur, pronunciari debet cum addito tenui *n*, ſic: *an-Kar*. Ultimus apex duplici puncto, quod वीसार्गः *Biſarkâ* appellant, a dextris litterae finalis alicuius dictionis connotatur, nullumque proprium habet ſonum, ſed tantum indicio eſt litteram, cui iunctum eſt *Biſarkâ*, proferri de-

debere fortiter, ac ſi traheretur e pectore, ſono tamen minime in longum protracto; ut videre eſt in voce expoſita बीसार्खः, cuius poſtrema littera eſt र्कः *rkâ*, quae, quum eidem copulata ſint duo illa puncta, emitti debet, quaſi cum impetu.

Hic autem vitio nobis verti poſſet, quod inter vocales connumeraverimus ऐ *eì*, & औ *aù*, quae diphthongis रि *ri* री *rì*; & लि *li* ली *lì*, quae ſyllabis; tum & punctum ॰ *ankar*, quod conſonantibus; & puncta ः *biſar-*

ſarkà, quae accentibus potius accenſenda videntur; ſed quum Indoſtani vocalibus haec omnia attribuant, nulla nobis nota merito eſt impingenda; illorum namque Alphabetum iuxta ordinem, ac methodum, quam ipſi tenent, in praeſentiarum tradere propoſuimus.

CAP. II.

De Conſonantibus ſimplicibus.

NE Indoſtani Alphabeti ordo immutetur, a vocalium expoſitione ad ſimplices conſonantes explicandas procedimus. Notavimus ſupra, conſonantes ſimplices ad XXXIV. uſque

que aſcendere, quarum genuina appellatio licet ſine vivae vocis adminiculo aut vix, aut nullatenus exprimi valeat, aliqua tamen breviter hic praelibabimus, quae eam, quantum quidem fieri poterit, intellectu facilem reddant.

Sciendum igitur, pleraſque harum conſonantium eſſe duplices, triplices, vel etiam quaduplices, diverſo ſingulas exaratas charactere, quae characterum varietas diverſitatem ſignificat modulationis, & ſoni, quo Indoſtani ſingulos apices ab invicem in pronunciatione diſtinguunt. Alios vero obſcure in interiori gutture formant, &

vo-

voce tenui, ac quaſi dimidiata proferunt. Alios quadam vi, & aliqua aſpiratione exalant. Alios inſuper medio palato; ſcilicet ad palatum ipſum linguam inflectentes emittunt. Alios tandem narium miniſterio pronunciant. Primam modulationem, ſeu ſonum appellabimus *tenuem*, alterum *ſemi-aſpiratum*; tertium *palatinum*, poſtremum denique *naſalem* vocabimus, & ſequentibus notis ſuper latinam appellationem delineatis diſtinguemus. Prima nota tenuem, ſecunda ſemi-aſpiratum, altera palatinum, quarta naſalem ſignabit: quae vero nullo erunt

no-

notatae ſigno, non aliam, quam latinam pronunciationem habebunt. Sint ergo notae pronunciationis:

Pro Tenuibus
Pro Semi-aſpiratis
Pro Palatinis
Pro Naſalibus

His praemiſſis, Tabula Conſonantium ſimplicium heic ſtatuitur:

क	ख	ग	घ	ङ
Ka	kha	ga	gha	nga
च	छ	ज	झ	ञ
cia	ciha	gia	giha	nghion

ट	ठ	ड	ढ	ण
ta	tha	da	dha	nā
त	थ	द	ध	न
ta	tha	da	dha	na
प	फ	ब	भ	म
pa	p-ha	ba	bha	ma
य	र	ल	व	श
già	ra	la	va	ſcià
ष	स	ह	क्ष	ः।ः
kha	ſa	ha	ccia.	

Hic obiter notandum eſt; conſonantes palatinas ड *da*, & ढ *dha* aliquando per *da*, aliquando vero per *ra*, ſono ta-

men palatino retento, pronunciari debere, licet ratio, aut regula certa de hac re aſſignari non poſſit, totumque ex uſu diſcere oporteat; v. g. डंड *dand* baculus, खटोरा *Kathora* pelvis, घोड़ा *gora* equus, ढीट *dit* manſuetus, ढूंढ *dund* luxurioſus, बढ़ई *barai* faber lignarius, गड़ना *garnà* ſepelire.

Notandum inſuper, litteram य *gia* quandoque *ja*, non *gia* proferri; quod maxime evenire ſolet, quando cum aliis conſonantibus copulatur, v. g.

क

कन्या *Kanja* virgo nubilis, तपस्या *tapeſja* contemplatio, क्यों कर *kion kar* qua ex cauſſa &c.

Conſonantes omnes in ſuperiori tabula deſcriptae, quas Indoſtani quinquenas, & quinquenas, inſtar cantionis recitant, congenitam habent vocalem अ *a*, in quam earum pronunciatio deſinere debet, ſic proferendo *ka*, *ga*, *cia* &c.; excipe *nghion*, quod exit in *on*. Hinc ut plurimum tot ſyllabas in dictione legere oportet, quot in ipſa inveniuntur conſonantes, dummodo non ſint plures

Digitized by Google

ad invicem copulatae, vel in corpore dictionis non elidantur: hae enim ad unam, eamdemque ſyllabam pertinent. Quando autem conſonans eſt finalis, tunc earum remanente numero ſyllabarum, plerumque deperdit vocalem congenitam, & vocatur कंदीत *kandit*, id eſt eliſa; quod in medio dictionis non raro evenire ſolet. Legem tamen de hac re generalem vix, aut non invenies omnino. Exempla habes in voce च कमक *ciakmak* ignitabulum, in qua quatuor conſonantes per ſe ſolas integram dictio-

nem

nem duarum ſyllabarum effor-
mant, licet utrumque क् *k*, ſci-
licet tam finale, quam me-
dium elidatur.

Ab hac eliſionis regula exci-
piendae ſunt conſonantes fina-
les quidem, ſed ſignatae deſu-
per puncto *anckar*, vel ad de-
xteram punctis *biſarkâ* conno-
tatae; priores namque in *an*,
poſteriores vero in *â* fortiter
prolatum inviolabili lege ter-
minant.

Licet conſonantes praedi-
ctae per ſe ſolas non ſyllabas
modo, ſed integras quoque
voces, ut vidimus, conſtitue-
re poſſint: nihilominus संद

ſand, id eſt ſimplices vocantur, quia ſimplici, & unico apice efformantur. Si vero alia ſive vocalis, ſive conſonans ipſi copuletur, quod fieri debet ſaepiſſime, tunc vocantur असँद *aſand* non ſimplices. In his autem coniunctionibus non eaſdem Indoſtani ſequuntur regulas, ac nos Latini. Nos enim cuiuſque vocalis figuram (nam de conſonantibus infra) etiam ſi unicam cum aliis litteris componat ſyllabam, integram ſemper exaramus; illi vero partem tantum eiuſdem, ut ſequentia exempla exhibent: दऐम *daem* perpetuus

tuus

tuus, भाई *bai* frater, राकना *rakna* cuſtodire, in quibus vocalis आ dimidia tantum ſui parte conſonanti adiungitur hac perpendiculari linea ा; Inde fit, ut quotieſcumque in eorum ſcripturis intergum alicuius vocalis characterem ſive in principio, ſive in medio, ſeu in fine dictionis repereris, nulli conſonanti eam debeas copulare; quia tunc ex ſe ſola ſyllabam conſtituit. En exempla: असल *aſal* originale: इव *iw* ſimilis, उपर *upar* ſu-

pra, भाई *bhai* frater, in quibus vocibus vocales अ· ई· उ· ऐ· ex ſe ſolis ſine conſonantium unione ſyllabam integrant.

Obſerva hic obiter, quamcumque vocalem cuicumque conſonanti copulatam ſemper eſſe *rectam*, conſonantem vero *rectricem*. Quid autem ſit rectrix, & recta, docebimus poſtea.

At priuſquam de modo copulandi vocales cum conſonantibus verba faciamus, pauca de uniuſcuiuſque conſonantis pronunciatione praemittenda iudicamus.

CAP.

CAP. III.

De pronunciatione Conſonantium in particulari.

1. क *Ka*. Eſt haec prima littera conſonans apud Indos, & ex qua Alphabetum केखो *kekho* nomen habet: aequivalet noſtro *k* Latino, vel *c* ante *a*, nec ante *i*, & *e* ſuam, ut apud nos, pronunciationem mutat, ſed eodem modo *ka*, *ke*, *ki*, *ko*, *ku* profertur, ut Arabum ق *k*.

2. ख *Kha*. Haec littera apud Latinos non habetur, ideoque aliter, quam per *ka*, & *h*, ſcilicet *kha*, non poteſt exprimi, niſi dicamus, quod eo-

eodem modo cum praecedenti, ſed aſperiori pronunciatur, ac خ *cha* Arabum repraeſentat.

1. ग *Ga*. Eadem littera eſt cum noſtro *g* ante *a* poſito; dices eodem modo *ga*, *ge*, *gi*, *go*, *gu*, ſemper pronunciando *g* lenem, ut in Latinis dictionibus *gaudium*, *goſſypium*, *guſtus* &c.

4. घ *Gha*. Eſt *g* ſecundum, ſeu praecedenti ſimile, ita tamen, ut illi aſpirationem addas, quod apud Latinos non in uſu habetur. Arab. غ *Ghain*.

5. ङ *Nga*. Eſt littera particularis, quae naſo proferri debet cum aliqua aſpiratione, lin-

Digitized by Google

linguam invertendo, & palatum leniter percutiendo, ita ut *bleſa* ſimul, & *naſalis* proferatur. Eius ſonum Latinis litteris exprimi nullo modo poſſumus; Magiſtri vox rite docebit.

6. च *Cia*. Neque haec ulli ex noſtris litteris rite poteſt aſſimilari, ſed medium habebit locum inter *c* Italorum, & *tcha* a Gallis pronunciatum, quod uſus docebit.

7. छ *Ciha*. Haec littera optime a Gallis pronunciatur, & aſperam prolationem exigit:

8. ज *Gia*. Noſtro *gi*, & *ż* ſimul arridet haec littera, vel de-

debet pronunciari eo fere modo, quo pronunciant, qui linguam habent bleſam. Per ج *gim* Arabum explicatur.

9. झ *Giha*. Eſt alterum *gi*, quod bleſe quidem efferri poteſt; ac magis ad noſtri *g* ante *e*, & *i* poſiti pronunciationem, ut *germen*, *gigas*, quamvis cum aliqua differentia, accedit, & ج *gim* Arabum refert.

10. ञ *Nghion*. Haec per Latinam litteram deſcribi nequit, cum plures ſimul prolatae eius ſonum exprimere valeant; Palato enim ſimul, & naſo cum aliqua aſpiratione erit pronuncianda. Uſus te docebit.

11. ट *Ta*. Aliter, quam per *t*, haec a nobis Latinis explicari nequit, nec deſcribi poteſt; quamvis longe ſit diverſa, eiuſque pronunciationem aſſequi neceſſarium ſit. Profertur lingua paullulum inverſa, & palatum leniter percutiente, quo bleſe pronunciatur; quod ſane per uſum aſſequeris. Reſpondet ط *tta*, vel ت *te* Arabum.

12. ठ *Tha*. Litterae antecedenti ſimilis eſt, eodemque modo effertur, addendo illi aſpirationem *h*, quaſi ث *the* Arabum.

13. ड *Da*, vel *ra*. Duplicem huius litterae pronunciationem

nem habes; nunc enim, ut *d* bleſum, nunc, ut *r* itidem bleſum, ſed palatum ſimiliter leniter percutiendo pronunciatur. Initio quidem dictionis, ſemper ut *d* bleſum pronunciabis, ſed in medio, & in fine certa non habetur regula; modo *da*, modo *ra* dices.

14. ढ *Dha*. Eadem eſt cum praecedenti *d*, & *r*, eodemque modo pronunciantur, ſed aſpere, & quadam aſpiratione ſuperaddita. Cum ذ *dal* Arabum convenit.

15. ण *Na*. Iſta littera eſt *n*, ſecundum quod e naſo ſemper pronunciatur. Apud Arabes ن *nun*.

16. त

Digitized by Google

16. त *Ta*. A noſtro *t* non differt.

17. थ *Tha*. Eſt *τ tau* Graecorum, quod fortiter debemus pronunciare, ſicut ט *teth* Hebraeorum, vel ط *tta* Arabum.

18. द *Da*. Eſt noſtrum *d* Latinum.

19. ध *Dha*. Eſt ſecundum *d* aſperum, cui debetur aſpiratio *h*, & etiam reſpondet ad Graecorum *δ delta*.

20. न *Na*. Non differt a noſtro *n* Latino, niſi quod caveri debet, ne de naſo pronuncietur, ſed ſemper clare, ad differentiam alterius ण *na*, quod de naſo paullulum effertur.

21. प *Pa* Praeſens haec littera eſt *p* Latinum. 22. फ

22. फ *P-ha*. Eſt *f* Latinum, vel melius *p-h*, vel φ *phi* Graecorum; optime tamen pronunciabis, ſi *p-ha* dicere queas.

23. व *Ba*. Latinum *b*, de quo adnotes velim, quod ſicut in noſtra Europa apud varias nationes *b* in *u*, & *v* conſonans in *b* immutatur, & unum pro alio uſurpatur, ita apud Indos invenies dicentes वाफ *vap-h* pro *bap-h* vapor, & वाव *vavo* pro वाव *bavo* exſiſtentia.

24. भ *Bha*. Secundum *b*, quod aſpirationem ſibi adiungit, dicendo *bha*; iſta littera non convertitur in *u*.

25. म *Ma*. Eſt Latinum *m*, quod debet aperto ore pronun-

nunciari ad differentiam alterius, quod *mindan*, vel *nindan* vocant, & obtuſo effertur ore.

26. य *Gia*, vel *ja*. Eſt littera media inter conſonantem, & vocalem, ut ſuo loco dicetur. Apud nos aequivalentem non habet. Indi illam vocant *gia*, vel *ja*, pronunciando illam parumper in gutture; ſed alio modo, quam ع *aain* Arabum, cui tamen in multis poteſt aſſimilari.

27. र *Ra*. In nullo differt a noſtro *r*.

28. ल *La*. Eſt *l* Latinum.

29. व *Va*. Ea littera eſt *v* conſonans, vel potius media

Digitized by Google

inter conſonantem, & *u* vocalem, & utriuſque officium agit. Non pronunciatur, ut *u* vocale, ſed quaſi و *vau* Arabum, & ו *vau* Hebraeorum.

30. ज़ *Scià*. Character hic aequivalet *ch* a Gallis pronunciato, nullo autem modo *c* Italorum. Eſt ش *ſcin* Arabum.

31. ख *Kha*. Eſt tertium *k*, idem cum ſecundo, & خ *cha* Arabum ſimile.

32. स *Sa*. Latino *ſ* aequivalet.

33. ह *Ha*. Eſt *h* Latinorum.

34. क्ष *Ciha*. Haec littera rara eſt, & vix in uſu; aſſimilatur in omnibus ſeptimae छ.

CAP.

CAP. IV.

De copulatione Vocalium cum Conſonantibus

EX his omnibus praemiſſis habes, ad legendos Indoſtanorum libros haudquaquam tibi ſufficere ſolas litteras *ſand*, ſeu ſimplices didiciſſe, niſi regulas quoque coniunctionum quam perfectiſſime noveris. Quamobrem notanda ſunt ſequentia.

1. Vocalis quaecumque illa ſit, ſemper ſequitur naturam ſoni conſonantis, cui copulatur, *tenuis*, *ſemi-aſpirati*, *palatini*, aut *naſalis*, retenta propria pronunciatione brevi, vel longa.

2. Viceverſa, conſonans pariter induit pronunciationem brevem, vel longam vocalis ſibi coniunctae, proprio retento ſono tenui, vel ſemi-aſpirato &c.

3. अ *A* breve, quum omnibus congenitum ſit conſonantibus, nullò umquam particulari apice eiſdem adnectitur; quod ſi illo uti opus fuerit, tota eius figura exaratur, ſicque ex ſe ſolo ſyllabam format.

4. Vocales reliquae modo a dextris, modo a ſiniſtris, modo ſupra, modo ſubtus pro cuiuſque exigentia, & natura, determinata ſui parte, conſonantibus ipſis uniuntur. Per ſiniſtram in-

intellige ſiniſtram oculi tui, quae dextrae libri, ſeu ſcripturae reſpondet, ſcilicet eam partem, a qua Latini ſcriptionem auſpicantur; per dexteram vero dexteram oculi tui, quae ſiniſtram reſpicit libri, ſeu ſcripturae; illam videlicet partem, ubi Latini ſcribendo deſinunt.

5. आ *A* longum conſonanti copulatur, a dextris ducta linea perpendiculari hoc modo ा, ut videre eſt in exemplis ſupra allatis.

4. इ *I* breve a ſiniſtris, ſic ि; v. g. सिद्ध *ſidd*, vel correctius शिद्ध *ſcidd* ſanctus, ubi *i*, quia breve, a ſiniſtris notatur.

7. ई *I* longum a dextris ſic ी; v. g. शादी *ſciadi* feſtum laetitiae, ubi *i*, quia longum, ſignatur a dextris.

8. Pari modo उ *u* breve a dextera ad ſiniſtram ducitur ſubtus conſonantem, ſic ु; v. g. चतुर *ciatur* aſtutus, हुकुम *hukum* iuſſio, ubi *u*, quia breve, pariter ſubtus a ſiniſtris.

9. ई *U* longum non aliter ſubtus, ſed a ſiniſtra ad dexteram, ſic ू; v. g. जोरू *gioru* uxor, झारू *giaru* ſcopa, ubi *u*, quia longum, dexteram reſpicit.

Vocalis *ri*, & *li* extra libros *ſamſcrit*, id eſt ſcientificos, ac ſa-

ſacros, vix eſt invenire; in Alphabetorum ſpeciminibus tamen proponi ſolent, & idcirco diſtingui notamus.

10. ऋ *Ri* breve exprimitur lineola quadam uncinata, ad pedem conſonantis appoſita, ſic ृ; v.g. कृष्ण *kriſcna* nomen proprium Idoli, कृष्णपक्ष *kriſcna-pacc* luna decreſcens, ubi lineola uncinata litteram क terminans, *ri* breve ſignificat.

11. Pro ॠ *ri* longo praedicta duplicatur lineola, ſic ॄ; v.g. कॄतं *kritan* furari, तॄकोत *trikot* nomen medicinae; litterae क, & त illo duplici unco no-

notatae *ri* longum habere indicant.

12. Pari modo ऌ breve conſonantem terminat duobus punctis tantiſper apertis, ad eius pedem copulatis, ſic ॢ; & ॡ *li* longum ſignatur iiſdem punctis in medio caudatis, ſic ॣ.

Sed quum poſtremae hae duae vocales in ipſis etiam libris ſcientificis rariſſime adhibeantur; ideo nullae nobis ſuppetunt voces, quibus earum uſus exemplo exprimi queat; unde ad ſequentem coniunctionum Tabulam Lectorem amandamus.

13. ऐ *E* breve copulatur, ducta ſupra conſonantem unica linea, inſtar accentus gravis, aliquantum inclinata, ſic ` ; v. g. बेद *bed* ſacer Indoſtanorum codex, नेवप *nevotà* convivium, फ़ेतदार *p-hatedar* expugnator: in quibus exemplis accentus gravis, ſeu linea ſuperpoſita *e* breve importat.

14. Quod ſi ऐ *e* longum, id eſt *ee*, *ai*, vel *ei*, inſtar diphthongi adhibere neceſſe ſit, duplicatur accentus, ſeu linea tali modo ``; v. g. मैना *meina* certa ſpecies avium, बैरी *beeri* inimi-

micus: in his vocibus duplex ille accentus aequivalet *e* longo, ſeu diphthongis ſupra notatis.

15. Haud abſimili modo copulantur vocales ओ *o*, & औ *au*, vel *ou*, hoc ſolo diſcrimine, quod a dextris conſonantis addenda eſt linea perpendicularis, ut de vocali *a* paullo ante monuimus. Itaque ad denotandum *o* breve, unicum deſuper exarabis accentum; duos vero ad ſignificandum *o* longum, ſeu diphthongos *au*, vel *ou*; ſed in utroque caſu lineam adnectes. Exempla pro *o* brevi: करोर *karor* decem milliones,

गोडा *gora* equus, मोहसील *mohaſil* exactor. Exempla pro *o* longo, ſeu *au*, & *ou*: सौगंध *ſaugand* iuramentum, नौमी *noumi* nonus, तौलन *toulna* ponderare, ſeu librare.

16. Punctum ॰ *ankar*, quod, ut diximus alibi, omnibus tum vocalibus, tum conſonantibus eſt communicabile; nihil aliud denotat, niſi *n*, & aliquando etiam *m* leniter proferendum, quo littera terminari debet in pronunciatione: ita ut vocalis quaecumque tali puncto notata deſinat in *an*, *en*, *in*, *ein*,

Digitized by Google

on, vel *aun*, pro vocalis cuiuſque natura. Exempla: अंधय़ली *andiali* caecitas, इंद्र *Indra* Idoli nomen.

Conſonantes *ſand*, ſeu ſimplices, tum & compoſitae ex ſolis conſonantibus, hoc item puncto ſignatae, propter vocalem *a* brevem ipſis congenitam, ſemper exeunt in *an*, ut videre eſt in संजोग *ſangiogh* occaſio, खंभा *kambah* columna.

Excipe litteram ञ *nghion*, quae ſolummodo naturalem ſuum ſonum tantiſper producit. Con-

Conſonantes vero *aſand*, & quaecumque aliae compoſitae, propter alicuius vocalis unionem, ipſius vocalis aemulantur naturam, & in *an*, *in*, *un*, *en*, *ein*, *on*, vel *aun*, ſeu *oun* terminantur. En exempla:

